

### **THES. XVIII.**

Et tamen temperamenta hominum, pro ætatis in primis, aliarumque circumstantiarum ratione, revera mutari, quotidiana Experientia omnium solidissime docet.

### **THES. XIX.**

Quanquam ergo nonnulla forsan in contrarium, adversus receptam de temperamentis doctrinam, afferri adhuc possint, nulla tamen videtur subesse, quæ tanta sit, necessitas, cur temere eandem deferamus, novæque *Viri Celeberr.* subscribamus.

### **THES. XX.**

Notatu adhuc dignum est, quod externa vultus, totiusque corporis, dispositio, ut plurimum internam animi faciem in hominibus prodat. *Observeavit illud ex parte, suo jam tempore, ANDRONICVS RHODIVS, qui in Paraphr. ad L. 4. Etb. Arist. scribit: Sicut corpora distinguunt sui motus; - - - ita ex iis, qui extra sunt, & qui in oculos incurruunt, hominum motibus, habitus quoque apparent animi & mores.* vid. DANIEL HEINSIUS in Dissertat. ad Horatianum de Plauto & Terentio judicium, Heinsianæ Terentii Editioni praemissa, p. 4. Ex vultu enim, ut plurimum, haud difficulter colligitur, qualis sit interna animi indoles, quanquam rationem sufficientem reddi posse desperem, qui fiat, ut internam animi faciem, externa corporis, reddere queat.

Brevibus haec omnia, temporis lucrandi causa, complexus sum thesibus. Digna tamen sunt, quæ pluribus evolvantur. Quodsi tempus itaque & occasio olim suppetent, uberiorem horum deductionem L. B. a nobis exspectet.

T A N T V M.